

gnitionem non solum concurrat objectum, sed etiam virtus potentiæ, oportet quod ista sit proportionata ipsi objecto, si objectum non sit supernaturale; et ulterius determinata, et non indifferens ad ordinandum, et disponendum de ipsis speciebus facile, et prompte, si scientia acquisita sit, et naturalis; unde pro utroque genere indiget habitu superaddito potentiæ, et distincto a speciebus.

XXXIV. Ad fundamenta patris Suarez. Ad primum ex auctoritate D. Thomas in tertio sententiarum dicitur apertissime mutasse sententiam in hoc articulo VI, ut etiam Cajetanus advertit 1-2, quæst. LIV, articulo IV.

XXXV. Ad fundamentum ex ratione respondetur, concesso quod per hanc scientiam infusam tam res supernaturales, quam naturales cognoscantur supernaturali modo, et supernaturali lumine, nihilominus D. Thomas dicit in solutione ad tertium, quod iste modus cognoscendi supernaturaliter est communis ad diversa genera scibilium, et diversos modos scientificè cognoscendi tam res supernaturales, quam naturales, eo quod unaquæque species repræsentans naturam specificam sibi correspondentem, ita adæquate se habet ad illud objectum, quod sub alio modo cognoscit, et tendit ad illud, quam alia species ad suum objectum, et naturam specificam; unde quælibet species est adæquatum principium cognoscendi naturam specificam sub propria distincta scibilibitate correspondente tali naturæ; et cum ex parte subjecti modus connaturalis illius sit habere lumen divisibile per varios habitus, hoc ipso quod ex parte subjecti repræsentantur diversæ scibilitates, seu modi adæquati sciendi, ex parte subjecti cor-

respondent diversi habitus scientifici, si connaturaliter ad modum subjecti infundantur.

XXXVI. Ad confirmationem respondetur ex D. Thoma in hoc articulo sexto ad secundum, quod fides ideo est unus habitus, quia ejus ratio formalis est una, scilicet attestatio divinæ auctoritatis; fides enim solum inclinatur ad credere, non ad scire, et ideo stante eadem auctoritate per accidens se habet omnis diversitas rerum credendarum. At vero scientia infusa inclinatur ad cognitionem scientificam, et quidditativam rerum, et non ad credendum per auctoritatem extrinsecam; unde si juxta diversas quidditates dantur diversæ species illis adæquatæ, et repræsentantes diversa principia, et connexionem scibilitatis objecti, consequenter variantur rationes formales habitus scientifici, quæ sunt genera scibilium.

XXXVII. Ad id quod additur de lumine superiori respondetur, quod hoc lumen est superius, quam lumen angelicum superioritate ordinis, quia est supernaturale, et in unaquaque re etiam naturali, aliquid supernaturalitatis repræsentat, saltem secundum habitudinem ad ordinem, et finem supernaturalem, vel ordinem ad causas naturaliter occultas, ut in superioribus explicatum est, ratione cujus etiam futuritionem repræsentant, ac cogitationes cordis, etc. Cæterum in modo tendendi hoc lumen est inferius angelico, quia accommodat se modo naturali subjecti, in quo recipitur, et ita dividitur unaquæque species juxta unamquamque naturam specificam: intellectus autem superior alio intellectu, et sensus communis superior sensu externo, sunt potentiæ superiores etiam in modo tendendi magis unite, et universaliter, unde non est simile.

QUÆSTIO XII.

DE SCIENTIA ACQUISITA CHRISTI.

EXPOSITIO LITTERÆ.

Præcipua difficultas, quæ in hac quæstione disputari solet, scilicet, quomodo ista scientia fuerit acquisita propriis actibus, et circa quæ objecta se extenderit, supra a nobis tractata est quæstione nona, disputatione de scientia in communi, articulo tertio; neque est quod amplius addatur.

Solum circa articulum quartum in quo sanctus doctor inquit, an Christus aliquid didicerit ab Angelis, exponendum breviter est, quomodo intelligi debeat, quod loquitur Lucæ XXII, confortatum fuisse Dominum ab Angelo instante passione sua, pro quo est considerandum, quod tripliciter potest illa confortatio Angeli intelligi. Primo, improprie, ita ut confortatio sit idem quod laudatio, seu magnificatio alicujus: secundo, sumitur confortatio proprie pro eo quod est consolationem impendere alteri, ipsiusque infirmitatem sublevare, et hoc dupliciter, vel ex parte animæ proponendo objecta consolatoria, vel ex parte corporis fovendo illud, et ministrando necessitati corporali.

Vazquez ergo hic disputatione LVI capite VI dicit, quod confortatio in Christo solum facta est primo modo, sicut docet Epiphanius hæresi LIX, et Chrysostomus tomo tertio in sermone quodam de Trinitate. Neque enim quasdam rationes posset Angelus afferre Christo, quas ipse multo melius antea non cognovisset, ac per hoc nihil solatii ex illis recipiebat. Quod etiam Scriptura insinuat, quæ postquam dixit apparuisse Angelum confortantem, subdit, quod: *Factus in agonia prolixius orabat*: ergo si mansit in agonia, non est consolatus. Et hoc ultimum etiam sequitur pater Suarez in commento articuli quarti dum dicit Angelum quidem de se obtulisse consolationem, sed Christum non recepisse.

Nihilominus vere fuisse confortatum Christum, absolute docet S. Thomas articulo quarto hujus quæstionis ad primum. Et est expressa sententia S. Hieronymi dialogo secundo adversus Pelagianos; S. Cyrilli epistola nona; S. Damasceni tertio de fide, capite XX, et aliorum patrum, ut etiam Vazquez fatetur.

Dico ergo fuisse Christum confortatum secundo, et tertio modo. Secundo quidem, non quia novas rationes ei proponeret Angelus, quas Christus nesciret, sed quia easdem proponebat, quasi compassionem, et societatem illi ostendens: nam et in hoc magna ex parte consistere solatium in Psalmo LXVIII ex persona Christi significatur, dum dicitur: *Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; consolantem me quæsi, et non inveni*. Ipsa ergo simultas, et societas Angeli compatientis, et eandem tristitiam ostendentis, erat genus quoddam solatii. Et Epiphanius, ac Chrysostomus illum modum confortandi per laudationem ponunt, secundum vero non negant. Imo hoc ipso, quod Angelus laudabat Christum

ei societatem faciendo, consolationem adhibebat, sicut nos sæpe consolationem accipimus ab amicis, per hoc solum quod videamus eos compati nobis, et societatem facere, atque approbare, et laudare rationes, quas ipsi novimus.

Quod autem Scriptura dicit factum esse in agonia planus sensus est, quod tunc quando erat in agonia, et sudore sanguineo apparuit Angelus ad confortandum, licet prius apparitionem narret Scriptura, quam agoniam.

Denique tertio modo intelligi potest ista confortatio, quia revera ipsum corpus Christi erat lassum, et debilitatum tanto sanguine fluente, unde Angelus confortavit ipsum, vel sanguinem abluendo, vel aliquo sensibili modo fovendo corpus, ut Cajetanus significat in calce commentarii huius articuli quarti, et est saltem rationi consonum, quia licet hoc Christus per seipsum facere posset, ad ostendendam tamen veritatem carnis, voluit externo ministerio uti, sicut etiam voluit a matre nutriri, gestari, et involvi.

QUÆSTIO XIII.

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI.

EXPOSITIO LITTERÆ.

In articulo primo inquit D. Thomas, utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter, et respondet unica conclusione, videlicet, impossibile esse quod anima Christi habuerit omnipotentiam; eo quod omnipotentia ut hic tradit D. Thomas est potentia activa cujuslibet rei factibilis; sed anima Christi non habet potentiam activam cujuslibet rei factibilis, cum creare non possit, nec seipsam producere; ergo non habet omnipotentiam simpliciter.

In articulo secundo inquit, utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Quadruplici respondet conclusione. Prima: Anima Christi secundum propriam virtutem, sive naturalem, sive gratuitam habuit omnipotentiam ad omnes illos effectus, qui sunt animæ convenientes, verbi gratia, gubernare corpus, et illuminare alios per gratiam, et scientiam.

Secunda conclusio: Anima Christi ut est instrumentum divini Verbi habuit virtutem instrumentalem ad omnes immutationes miraculosas faciendas in ordine ad finem incarnationis.

Tertia conclusio: Anima Christi etiam quatenus est instrumentum divini Verbi non habuit virtutem ad annihilandum.

Quarta conclusio: Anima Christi non habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

In articulo tertio inquit, utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis. Triplici respondet conclusione. Prima: Anima Christi secundum propriam virtutem non habuit omnipotentiam respectu proprii corporis.

Secunda conclusio: Anima Christi secundum quod est instrumentum divinitatis habet subjectum suæ potestati totaliter, et perfecte suum corpus, et omnem illius dispositionem.

Tertia conclusio: Omnipotentia, quam habet anima Christi respectu proprii corporis potius debet tribui divino Verbo, quam ipsi animæ Christi.

In articulo quarto inquit, utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis. Duplici conclusione respondet.

Prima conclusio: Anima Christi secundum propriam virtutem habuit potentiam ad universa, quæ voluit ut per seipsam adimplenda.

Secunda conclusio: Anima Christi secundum propriam virtutem non habuit potentiam ad ea, quæ voluit impleri secundum divinam potentiam, nisi solum instrumentaliter.

DISPUTATIO XV.

DE VIRTUTE, QUA HUMANITAS CHRISTI OPERATUR EFFECTUS SUPERNATURALES.

ARTICULUS I.

Utrum conclusio D. Thomæ vera, ratioque illius pro illa efficax sit?

I. Pro intelligentia tituli statim advertendum est, non esse dubium quin per communicationem idiomatum homo ille Christus dicatur omnipotens; de fide enim est, quod sicut per unionem hypostaticam communicata fuit animæ Christi, et toti naturæ humanæ ipsa deitas, et reliqua attributa, communicata etiam fuit omnipotentia: sed difficultas est, utrum ex vi unionis hypostaticæ receperit anima Christi aliquam virtutem, et facultatem in se, et intra seipsam, a qua dicatur omnipotens. Nec etiam est dubium quin anima Christi habuerit omnipotentiam secundum quid cum limitatione, videlicet in ordine ad omnia illa, quæ necessaria erant ad finem incarnationis. Difficultas ergo est de omnipotentia simpliciter, an reperitur in anima Christi ex vi unionis hypostaticæ.

II. Partem affirmativam, videlicet, quod habuerit omnipotentiam sim-

pliciter tenuerunt hæretici quidam vocati Ubiquistæ, nomine desumpto a sua hæresi; affirmabant enim animam Christi, et totam ejus humanitatem taliter esse Verbo unitam, ut esset ubique, sicut ipsa divinitas; et similiter æterna, et omnipotens. Quorum errores referunt Suarez disp. xxxii, sect. iv, et Gregorius de Valentia tomo iv, disput. ii, quæst. ii, puncto iii.

III. Altera sententia est catholicorum asserentium humanitati Christi non esse communicatam omnipotentiam nisi solum per communicationem idiomatum; affirmant tamen, quod humanitas in se ipsa facta est potentior, quam esset in propria, et connaturali personalitate. Sic tenet D. Bonaventura et Richardus in iii, dist. xiv, art. ii. Et probatur hæc sententia, quia negari nequit quin ad perfectiorem existentiam, et subsistentiam sequatur perfectior operatio; sed animæ Christi communicata fuit media unione hypostatica subsistentia, et existentia divina; ergo facta est potentior ad operandum, quam esset in propria personalitate. Quid vero nos sentiamus, jam aperiemus.

IV. Prima conclusio: Omnipotentia simpliciter non est communicata animæ Christi, aut ejus humanitati ex vi unionis hypostaticæ; imo nec potuit communicari. Primam partem conclusionis ut de fide amplectuntur theologi, supposito